

Georg Detharding

**Programma, Qvo Rector Academiæ Rostochiensis, Georgius Detharding, Med. D.  
... Polemo-Sophiam Angelorum Academii Præfectorum In Festo Michaelis,  
Civibus Academicis serio meditandam proponit, & quo par est studio commendat**

Rostochii: Typis Ioannis. Iacob. Adleri, [1732?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004016654>

Druck    Freier  Zugang





T. 512.

1732. Michael.

A-1256 219.

Mitt. 1732.

PROGRAMMA,  
QVO  
RECTOR ACADEMIÆ  
ROSTOCHIENSIS,  
GEORGIUS DETHARD  
DING,

Med. D. Profess. Publ. & totius  
Academiæ Senior.



POLEMO-SOPHIAM  
ANGELORUM ACADEMIIS  
PRÆFECTORUM  
IN FESTO MICHAELIS,  
CIVIBUS ACADEMICIS  
serio meditandam proponit,  
& quo par est studio  
commendat.

---

ROSTOCHII,  
Typis IO. IACOB. ADLERİ, SEREN. PRINC.  
& ACAD. Typographi.

198.

M. 1256 219



On mirabimini , confido , CL-  
VES OPTIMI ! quod *Polemosophiam*  
Angelorum Almis concessorum in-  
horum porro fortitudinem , com-  
militonum vero Imitamentum me-  
ditandam hodie commendem ; In  
templis quippe resonant voces Ora-  
torum sacrorum de *Polemosophia*

Angelorum Archangelum Michaelem in pugna cum Dra-  
cone & hujus sociis circumdantium ; ad hujus vero coe-  
lestis agminis exemplar , ut omnes se componant , qui  
obsequiosissime pro gloria DEI pugnandum habent, iti-  
dem studiose inculcatur diligenterque . Vel maxime  
opus est , ut hi ad illam attendant , quibus speciatim  
demandatum ut bella pro veritate gloriam DEI exal-  
tante gerant animose , & assistente Duce valde bellico ,  
ac idem ille Michaël est , omnia fuscipienda ad normam  
& regulas disciplinæ militaris coelestis instruant pru-  
denter . Tales vero sunt , qui titulo Professorum in Almis  
fulgent , *Doctores publici* . Quantumvis enim præter hos  
alii in almis degant , à quorum in docendo sedulitate , hinc  
studio pro veritate , publica salus , specialissime gloria  
Divina non parum laudis capit : eos tamen comparaveri-  
mus cum Voluntariis in exercitu , qui sponte militant ;  
in quorum arbitrio repositum est , an se immiscere præ-  
liis & socios discriminum agere , an spectatores eminus  
observare velint , quibus viribus certantes congregian-  
tur ? Haud ergo stipendio conducti exercitum comi-  
tantur . Nec in malam partem interpretabimini , spero ,  
quod titulum Angelorum Academiarum ad Professores  
sacra Biblia sibi fumentes , ut , quæ in his ad veritatem  
æstimandam revelata sunt , unicuivis ostendant , non  
restrin-

restringam ; angelicum quippe officium reliquorum Professorum studium itidem dicendum est, qui, cum veritatis imperium longe lateque se extendat, sic jubente summo Almarum Statore & Moderatore à vicariis Archangeli Michaëlis in Almas mittuntur & alegantur, ut Deceptionem omnibus modis oppugnent. Abhinc penes hos æque ac illos ardens est desiderium, quosvis suo præsidio commissos manuducendi ad scopum memoratum, sint licet methodi & viæ eò perveniendi diversæ. Illos ergo omnes hodie, ut Gideones suos, ut suos Jonathanes, verbo : Campi Duces & Officiales suos commendatos volo his, qui milites Tyrone, studiosorum nomine salutantur, ut provide decertantes indefesso studio observent, pede inoffenso sequantur, hostium stratagemata intelligere addiscant, & quo tandem ipsi Officiales constituantur, quorum fidei præsidia pro salute Veritatis & scientiarum hanc roborantium incremento committi possint, magna attentione & virtute sua mereantur. In quo, dum ero occupatus, ubertatem dicendi axiomatibus quibusdam includam.

*Polemosophia monet Angelos Academiarum, ut voci S exempli unius Ducis omnia dent.* Non est, ut memorem, quam in prælio supremi Ducis cum Satana, Angeli satellites ad nutum ejus omnia peregerint, & quod de illis alibi Sacer Codex monet, se faciem DEI haud interrumpim observare quo ad nutum & ictum oculi sint paratissimi, & hic præstiterint ; quandoquidem notius est, ac quod notissimum, exercitum, nisi ad unum intentus fuerit, vario tumultu turbari, plurimisque se in Duces erigentibus, plus nocumenti, quam adjumenti exspectandum esse. De *Alexandro M.* refert *Justinus*, quod æque absonum illi fuerit yisum, salvum fore terrarum statum,

) ( 2

si duo

si duo regna summa admiserit, ac si mundus duobus solibus illustraretur; pariter sub conflitu cum inimicis scientiarum & artium hostibus, nisi summa potestas uni conferatur, agmina *opinionum*, *errorum*, *hallucinationum* *conjecturarum* invasiones suas, captivos ducendo perquam multos, continuabunt, nec desinent, quoties libuerit, agros sapientiae devastare. Quem vero constituerimus prudentem magis magisque gloriosum, ac in quo non modo quatuor hæ res insunt, quas in summo imperatore inesse volunt: *Militaris artis Peritia, Virtus, Authoritas, Felicitas*; sed qui errorum subjugandorum Hercule longe major Domitor, tenebrarum vero mentem obfuscantium, jacto radiorum suorum æstu, Jubar regale, ad sensum apophthegmatis venerabilis: *Timor Domini, initium sapientie*. Quantus jam teneat Angelos Academiarum sciendi ardor, quanta sit horum ingenii vis in latebras & recessus absconditos inscitiæ penetrandi, quantum desiderium adversus monstra hypothesium per omnem vitam reluctandi, magni ac feroce spiritus sub memorati Ducis imperio sunt continendi, quo nihil ambitiose, nihil præcipitanter, nihil inepte agatur. Stet pro ratione Voluntas illius; obsequii vero gloria ex inimicis justum triumphum reportabit & verum.

*Polemosophia* hortatur Angelos Academiarum, ut Vexilli propositi, cui nomen *Veritatis* est inscriptum, rationem probe habeant. Constat, quam milites signum habeant sequendi, cui se juramento quoque obstringunt; nec destituuntur Doctores publici sacramento cui se alligatos norunt. Quantumvis vero, prouti regiminum varia sunt in exercitu genera, diversi quoque in almis sunt coetus diversis expeditionibus destinati, unum tamen primarium manet vexillum, quod præ se fert *Veritatem*. Monstrent hanc

hanc alii ex revelatione : alii ex natura rerum creatarum : commendent illam ex officiis salutem publicam & conservationem generis humani respicientibus alii : omnibus eadem manet attentio vexilli constituti, i. e. ut veritas regnet. Est hæc serpentis ænei instar, quem tempore Mosis omnes & singuli Israelitæ contemplandum habuerunt, si voluerunt sibi consultum, eminus fuerint, aut minus constituti. Pro illa ergo standum & pugnandum, plus quam pro aris & focis, eoque acutius decernendum, quo stratagematibus, quæ modo ingenium, modo præjudicia, modo aliter statuentium multitudo afferunt, in hoc bello locus atque opportunitas. Præeuntibus jam firmo pede Magistris, qui castra sequuntur, adfvescant sensim studio indagandi & deperiendi eandem, nihil temere admittendo, nihil respuendo tumide. Quanta intercedat familiaritas cum *Platone*, cum *Aristotele*, cum *Cartesio*, cum *Wolffio*, & quo non alio incluto coeteroquin valdeque æstimando Doctore, sicubi ad pugnam signum datur, soli veritati litandum esse norunt, & quod alacri animo omnem conculcandam habeant Opinionem, auro licet & gemmis distinctam i. e. speciosam valde, informantur ac commoventur. Hinc quicquid Veritati collum submittere detrectat, est illis Anathema.

*Polemosophia* invitat Angelos Academiarum, ut mutuanopem ex amore mutuo sibi ferant. Nulli ignotum est, quam Aurum in centro terræ habitans, ut in lucem protrahatur, uno plures velit metallicolas, qui inexhausta industria eo collaborent. Quam itaque pulchrum quam honorificum rutilanti veritati manus socias subdere, quo, ac est in alto reposita, & in puteo, quod voluit Democritus, in conspectum prodeat, & splendore suo reficiat quosvis contemplantes ? Illa nullum suavius animo re-

focillamentū, nulla homini jucundior voluptas. Lin-  
quamus Mythologis sensus varios de aurea illa catena  
*Jovis*, (ut est apud *Homerum*) quam hic coelo suspendit,  
eademque appendi Deos jussit ad faciendum periculum,  
an ipsum possint in terram detrahere. Quam sibi su-  
munt libertatem, nos quoque nobis sumamus, & non ci-  
tra gravissimas rationes statuamus: veritatem auream  
esse catenam, qua tanquam vinculo artes & scientiae  
sunt conjunctae, ut nulla seorsim doceri, aut capi com-  
mode possit, quin una alteri ferat suppetias. Donum  
quoque coeleste sunt, ex quo sciendi desiderium animis  
infidet & media multiplicis generis ad illam apprehen-  
dendam benignissime conceduntur. Itane vero veritas  
coelo alligata, quo, ac Dii omnes detrahere catenam  
haud potuerunt, illa sit omni mentis humanae conceptu  
altior vel imperscrutabilis? Non sane, modo quod  
omniscientia sit mortalibus denegata, semper tamen sub  
laboribus mutuis & indefessis ingeniorum à coelo multi-  
scientia sit in animorum obiectamentum ac obsonium,  
sed imprimis in mutuum adjutorium.

*Polemosophia coercet Angelos Academiarum, quo unanimes  
bella pro veritate gerant.* Nil citius perdere exercitum  
discordia præfectorum, tot exempla probatum dederunt,  
ut sub testimoniosis rerum verbis opus non sit. Damna  
pariter gravissima in Republica literaria surgunt, quan-  
do sub Pallade bellatrice stipendia merentes Doctores  
contentionibus dant locum, ut in illis unum studium  
non conjungat animos, sed societatem Discordia dissol-  
vat. Quanti intersit econtra, ut ad hanc legem mili-  
tarem, concordiam jubentem, attendant, vel abhinc con-  
stare poterit, quod, quasi esset primaria, toties quoties  
commendatur, effertur summis laudibus, inque omni-  
bus

bus fere paginis repetitur ; si polemosophiam sacram  
sive Pandectas sacras evolvamus. Non est, ut omnes  
ac quævis disceptationes in almis exulare jubeantur.  
Sunt limæ, quibus rubigo Doctrinæ tollitur ; Sunt ferræ,  
quæ viam ad interiora pandunt ; Sunt venti, quibus na-  
vis fluctibus agitata portum celerius intrat. Hoc ta-  
men cavendum, ne feriat tales reprehensio Ciceronis.  
*Omnium ineptiarum, inquit, quæ sunt innumerabiles, haud scio  
an sit ulla major quam illorum, qui solent quocunque in loco,  
quoscunque inter homines visum est, de rebus aut difficillimis,  
aut non necessariis argutissime disputare.*

*Polemosophia excitat quosvis ex numero angelorum Aca-  
demiarum, ut civile æque ac externum bellum suscipiant. Nil  
bello civili foedius esse fatentur, qui castra sequuntur ;  
pariter Angelî memorati habent, ut ad civiles contro-  
versias attendant, quod pericula hinc longe majora im-  
minent. Tales vero suggerunt Philavtia, Ambitio, Invi-  
dia, Avaritia, morosa Severitas &c. quibus ut scintillis  
obveniendum, ne in flamمام abeundo, quicquid lau-  
dabile ac in commoda scientiarum cedere potest, con-  
sumatur ac pereat. Consulendum ergo, ut contra se  
pugnant, cristas erigentes motus cordis pravos quanto-  
cius conculcent, iis armis, quæ ad concupiscentias pra-  
vas debellandas suadent aliis, proprias rescindant, sic-  
que exemplo pariter ac verbis doctrinam suam reddant  
amabilem. Est equidem bellum hoc majus, quam ut  
ab homine conficiatur : ast, de quo antea, exemplum &  
vox Imperatoris animum addunt, ut eo audentius con-  
tra eatur, & se Præfecto summo omnia cedant prospere  
ac feliciter,*

*Subsistere in his porismatibus placuit, Polemosophiam  
academicam respicientibus : in aliud tempus, si DEO ita  
visum*

visum fuerit, servando, quæ de requisitis Angelorum, de  
quibus sermo, ut bonam disciplinam servent, exercitum legi-  
time ducant, militem eligant, castra disponant, moneant qua-  
lia arma capienda, quo ordine itinere progrediendum, quo  
paœtio hostis inpetendus, quomodo denique triumphandum sit,  
amplo sermone dici posuerint. Sufficere quoque nobis  
hodie allata poterunt, si animum à sensibus externis se-  
vocatum contemplationi prædictorum dare, & quod ad  
milites attinet, fidele summo Præfecto nostro obsequi-  
um, tum quoque Ducibus & Capitaneis obedientiam  
præstare allubet. Dantur, proh! milites improbi in ca-  
stris ; nec Alma penitus desidiosos Tyrones ignorat.  
Indulgent ingenio, quando de arduis, gravissimisque ad  
felicitatem facientibus rebus deliberandum. Stentorem  
sibi sumunt Capitaneum, qui clamores aliorum quin-  
quaginta voce ærea superavit. O! quam bruta voluptas!  
Achillem sequuntur, sed veste virginea indutum. O! quam  
animus abjectus: Herculem imitantur, sed coram Ompha-  
le sua sedentem, & colum tractantem ; O! quam inde-  
cens vitæ genus. Hostes sibi fingunt, sed tenebrofos.  
Muscarum instar magnum quidem strepitum excitant,  
sed mera duntaxat damna & clades graves sibi parant.  
Quod si hi existimaverint in sui ignominiam talia pro-  
ferri, ægre, jubeo, ita hoc ferant, ut se in gratiam  
cum Campi-Dueibus redire velle, temperantia, fide-  
litate, sedulitate, & quæ virtus militem ornat ac instruit,  
obsequio testatum faciant. DEUS exercituum, Do-  
minus Zebaoth sit nobis omnibus & singulis  
in adjutorium !

P. P. SUB SIGILLO RECTORATUS,

Ipsò Festo S. MICHAELIS.

d. 29. Septemb. A. O. R. MDCCXXXII.

-♦- (o) -♦-





Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn1004016654/phys\\_0012](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004016654/phys_0012)

DFG

bus fere paginis repetitur; si polemosop  
sive Pandectas sacras evolvamus. Non e  
ac quævis disceptationes in almis exulat  
Sunt limæ, quibus rubigo Doctrinæ tollitur  
quæ viam ad interiora pandunt; Sunt ven  
vis fluctibus agitata portum celerius intri  
men cavendum, ne feriat tales repreheli  
Omnium ineptiarum, inquit, quæ sunt innumera  
an sit ulla major quam illorum, qui solent quo  
quoscunque inter homines visum est, de rebus a  
aut non necessariis argutissime disputare.

Polemosophia excitat quosvis ex numero a  
demiarum, ut civile æque ac externum bellum si  
bello civili foedius esse fatentur, qui castris  
pariter Angelī memorati habent, ut ad ci  
versias attendant, quod pericula hinc long  
minent. Tales vero suggerunt Philavtia,  
dia, Avaritia, morosa Severitas &c. quibus  
obveniendum, ne inflammam abeundo, c  
dabile ac in commoda scientiarum cedere  
sumatur ac peccat. Consulendum ergo,  
pugnant, cristas erigentes motus cordis pra  
cius concilcent, iis armis, quæ ad concipi  
vas debellandas suadent aliis, proprias re  
que exemplo pariter ac verbis doctrinam  
amabilem. Est equidem bellum hoc maj  
ab homine conficiatur: ast, de quo antea, e  
vox Imperatoris animum addunt, ut eo au  
tra eatur, & se Præfecto summo omnia ced  
ac feliciter.

Subsistere in his porismatibus placuit,  
academicam respicientibus: in aliud tempus



the scale towards document  
Patch Reference numbers on UTM  
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11  
Image Engineering Scan Reference Chart TE63 Serial No. 0111